

8670

S P E C I M E N
C O N T I N E N S
O B S E R V A T I O N E S
D E
I V R I B V S C I R C A
M E T A L L A

Q V O D

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBURG.

S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

DIE XIV. OCT. ANNO C I O I O C C L X V I I I .

D E F E N D E T

A V T O R E T R E S P O N D E N S

A V G V S T V S B E Y E R

N I V E M O N T A N .

L I P S I A E

L I T E R I S R V M P F I I S .

И ПРІСЛА
ГОСПОДА СІМІСЬ
А ОДІССУ СІМІСЬ
А ІЛАТІСС
Д ГРІНІЧІСС

A

M O N S I E V R
FREDER. ANTOINE
DE HEYNITZ

SEIGNEVR DE TROESCHKAV,
COMMISSAIRE GENERAL DES MINES
CONSEILLER PRIVE DE LA CHAMBRE
DE SON ALTESSE SERENISSIME MON-
SEIGNEVR L'ELECTEVR DE SAXE
&c. TRESORIER DE L'ORDRE
DV S. HENRI.

A

MONSIEVR
ADAM FREDERIC
DE PONICKAV
SVRINTENDANT ET CONSEILLER
DES MINES DE SON ALTESSE
SERENISSIME MONSEIGNEVR
L'ELECTEVR DE SAXE

&c.

A

MONSIEVR
CHARLES EVGEN
PABST D'OHAIN

CAPITAINE ET CONSEILLER DES
MINES DE SON ALTESSE SERENISSIME
MONSEIGNEVR L'ELECTEVR
DE SAXE &c.

MESSIEVRS

Cest à VOVS MESSIEVRS, a qui j'ai tant d'obligation,
que jamais de ma vie je serai en état de VOVS en témoi-
gnes assés ma plus profonde reconnoissance. VOVS MES-
SIEVRS, m'avez fait parvenir au nombre de l'acade-
mie des mines dont chaque membre est soulagé par la Clemence de
S. A. S. Notre Elecleur. Instruit de la Grace de S. A. S. l'Elecleur
de Saxe et soulagé par VOS bienfaits particulières pour continuer mes
études je dois outre a S. A. S. a la quelle je jure une éternelle fidé-
lité, o VOVS MESSIEVRS la plus vive réconnoissance qui m'avez
jugé digne des nobles instituts de l'academie des mines. J'ose la te-
moigner par la dedicace de ces peu de feuillets, qui sont la premiere
preuve des mes études, que j'aurois autrement pris la liberté de la
mettre aux pieds de S. A. S. si la profondeur de ma soumission n'au-
roit surpassé mon audace. Dieu veuille conserver VOS illustres mai-
sons, tant pour le bien public que le mien, asfinque je puissé parti-
ciper de VOS graces, des quels je tacherai au plus possible de m'en
rendre digne, qui je suis avec le plus profond respect

MESSIEVRS

Leipzic,
se 14. d'Octobre
1769.

Votre treshumble et tres obeissant
Srviteur,

A V G V S T V S B E Y E R.



OBSERVATIONES DE IVRIBVS CIRCA METALLA;

§. I.

Sicut docta solertia eruditorum in tractandis iuribus seu magis tradenda iurisprudentia varias iurum diuisiones introduxit, quae vel rationem in diuerso, legislatore habent, vel in diuersis gentibus, vel in diuersis obiectis, quae tractant; ita adfirmari poterit, vel in legibus eiusdem legislatoris, vel eiusdem gentis, vel circa idem obiectum versantibus

A 2

varias

varias inuicem differentias statui posse. Eadem lex, quam hominum animis indidit diuina maiestas, varias admittit, pro ut applicatur, diuisiones, quippe vel *naturale*, vel *gentium*, vel *publicum vniuersale*, vel *ecclesiasticum vniuersale*, vel *ciuale vniuersale* ab eruditis efformatur. Cum vero eae ipsae leges fontem quasi omnis humani iuris constituant; videndum est, an eius iuris, quod circa metallis et metallifodinas atque reliqua fossilia versatur, eodem modo fontem quasi constituant. Si dicendum, quod res est, non dubito, fore, diuersimode eadem iuris naturalis stricta principia applicari posse. Vel enim silent leges, quae de priuatorum iuribus agunt, in rebus metallicis, et quid obstat, quominus *priuatum vniuersale* exinde formenus *ius metallicum*, scilicet ex applicatis principiis naturalibus ad causas metallicas, vel defunt pacta gentium inter se, quae lites de metallifodinis dicidunt, et dubium non est, quin recte deinceps naturalis iuris dogmata adhibeantur ad illas lites componendas. Dicas, si placet, *Ius Gentium circa metallis*. Si tandem populi cum maiestate sua de metallis ortas quaestiones iudicare velis, vbi fundamentalia ciuitatis pacta deficiant, ex quibus decidenda, putauerim, ex publicis vniuersalibus legibus applicatis decisiones petendas, qui legum vniuersalium applicatarum complexus *Ius publicum vniuersale metallicum* dici possit.

§. II.

Sed et *postiuarum legum* ratio habenda est. Vel enim ex ciuitatis alicuius legibus fundamentalibus potest confici sistema iurium: Inde *publicum Ius metallicum particulare*



3

*lare oriatur necesse est, de quo egit olim B. Parens meus in
OTIIS METALLICIS. p. 67.* Hoc vel si de Germania no-
stra sermo est, ad vniuersum Imperium spectat, audit *Ius Pu-
blicum metallicum Germanicum*, vel tangit statuum Impe-
rii iura in suis territoriis, et *Ius publicum vel Saxonum*,
vel *Bavaricum*, vel *Luneburgicum*, caet. dicitur. Vel pot-
est concepi complexus legum priuatarum subditos inui-
cem obligantium, et inde *Priuatum Ius metallicum* origi-
nes capiet. Hoc si totius Germanici Imperii ciues obli-
gat, *Ius Priuatum Germanicum Metallicum* audit, si vero la-
tum est a Maiestate Status Imperii Germanici, *Ius priua-
tum Metallicum*, vel *Saxonum*, vel *Austriacum*, vel *Lune-
burgicum* caet. dicitur. Neque dubitandum, quin, cum
Pruata Iura alias vel concernant priuatas ciuium actio-
nes, vel poenas statuant delictis, et *Ius priuatum metal-
licum recte diuidatur in civile atque criminale*. Hoc de-
lictis circa metallicas res definitis definit poenam, illud
contra reliqua pruata negotia ciuium dirigit atque de-
terminat. De singulis hisce iuribus, cum per breuita-
tem libelli aliter fieri nequeat, pauca quaedam et maxime,
quae patriam concernunt, obseruabimus.

§. III.

Primum itaque quaedam de *naturali hominum statu*.
Quanquam hominibus in statu libertatis viuentibus, (ni-
hil enim nobis hic negotii cum primaeua rerum commu-
nione, quae in logomachiam abit) rerum, quas posside-
bant, dominium naturale negari non poterat, tamen ea-
rum rerum, quae nondum possessae atque a quarum occu-
patione alter sine aequalitatis turbatione arceri haud pote-

A 3

rat,



rat, cum adhuc nullius essent, libera erat occupatio. Fossilia itaque, cum nondum effossae atque effodiendo occupatae possentiaque essent, recte cedebant occupanti, tummodo nemo simul in eo, quod habebat, perfecto iure laederetur, utpote, si in alieno agro fodinam quis aperire volueret, a cuius aditu arceri potuisset. Si quis itaque in sua terra fodinam metallorum vel etiam fossiliū effodiendorum causa aperuisset, posteaque vel metalla vel alia fossilia deprehenderet, dubitandum non erat, iure effosiorum metallorum fossiliūque dominum factum fuisse. At vero, si quis, qui in suo fodinam aperuerat, cuniculos in media terra eo deduceret, ut cum longius progresseretur sub terra, eo veniret, quo terrae superficies ad alterius dominium pertineret, et ibi metalla inueniret vel erueret, utrum eorum dominium acquireret eaque occupanti cederent, an vero alterius ius perfectum violasse videretur. Si ex solo iure naturali decidenda quaestio, neque iniustitiam quidem committi posse censeo, si sub alterius terrae superficie cuniculus ducendo metalla inuenta sua efficiat, dummodo in suo fodinam aperuisset. Cum enim quae in terrae sinu recondita sint, sicut ipsa terra occupata haberi nequeat, quamvis superficies occupata sit, ita cuiilibet liberum erit, percontari terrae intestina, modo alterius superficie damnum haud inferatur, quaeque ibi recondita a natura deprehendat, occupando vel magis effodiendo sua efficere. Hoc eousque verum erit, donec alter in suo quoque fodinam aperiat suosque ad meos ducat cuniculos aduersos et recte tunc prohibebit, quominus, cum eodem iure, quo ego ob aequalitatem sub terra suae superficie cuniculos ducere haud pergam.

§. IV.

§. IV.

Cum vero Gentium iura alia haud sint, quam quae summus orbis conditor hominum animis inscripsit, dubitare haud licet, cuius genti in suo territorio licere appetire fodinas metallaque quaerere in mediis terrae cuniculis, nec gentem iniustum esse, quae terram metallorum effodiendorum causa perfodiens longius eo progrediatur, ut in media illa terra occupet metallum, cuius superficies ad alteram gentem pertinet. Cui enim competere potest ius prohibendi quominus res nullius in loco nullius vel nec dum occupato occupem. At vero, si altera gens quoque cuniculos ducat, sive quasi illam terram occupet, recte prohibebit, quominus per suos cuniculos pergam meque recte ab aditu arcebit. Haec si de iure sermo. At videntur gentes vsu magis atque consuetudine contraria sententiam comprobasse. Nam communis prope opinio est, a superficie terrae ad centrum lineam perpendiculari duci posse, quae omnium finium expers sit, neminiisque licere intra istam conceptam lineam fossilia effodere, nisi possessori illius terrae: hoc est, dominium superficie etiam extendunt ad terras superficie subjacentes lineis semper perpendicularibus. Sed quid? si gens alterius gentis fines subterraneos fodiendo transgrediatur atque antequam de injuria illata conquesta sit, metallum fossiliaque effoderit, quaeritur: an de reddendis iis metallis ex alterius terra effossis teneatur? Et communis obtinet opinio, gentem ad illa reddenda non teneri, cuius causa haec esse videtur, quod adhuc metallum ad *adspicere* referantur, sive occupanti cedant, neque prius desinant nullius esse, quam a quo tempore altera gens acquisitioni

sitioni resistere atque hoc modo quasi possidere coepert. Quo etiam spectat solemne illud metallifoscoribus prouer- bium: Was über die Hängebank ist, das ist weg.

§. V.

Iure vniuersali dein publico de regali maiestatis iure circa metalla summa est tractatio. Quamvis enim nobis animus non est, historiam metallifodinarum earumque origines scribere; tamen cum *ius* illud *circa metallifodinas* communiter proprie ad regalia referatur, videndum, an secundum praecpta iuris naturalis ad statum ciuitatum publicum applicati idem sentiendum esse videatur. Reete BOEHMERVS in *Iure Publ. Vniuers. Lib. II. cap. X. §. 19.* non ad regalia seu proprie sic dicta Iura maiestatis propria refert, sed ad ea, quae in *adessore* dicuntur. Quis enim sibi concipiatur, finem ciuilis consociationis obtineri non posse, nisi in metalla reliquaque fossilia iura maiestas habeat. Sane imperfetta esset maiestas, seu defectus in ea deprehenderetur, quae, quod in eius territorio fossilia non existerent, destituta esset iure circa metalla. Quousque antiquitus auri, argenti, reliquorumque fossilium usus cognitus, est enim antiquissimus, siue ex terrae superficie effoderint, siue ex fluminibus collegerint, siue quocunque modo eruerint, vix tamen probari poterit, hoc effodiendi colligendique ius regibus proprium fuisse, imo magis credibile est, omnia metalla rudia illa mercibus tantum adscripta fuisse. Neque mirum, quippe et in iis adhuc hodie gentibus, maxime Africanis, qui aurum colligunt, tanquam merces tractant, quodue cum Europaeorum cre-

pun-

pundiis permutent, neque quamquam suos reges hebeant, ius illud colligendi regibus tantum tribuunt. Concludimus itaque, in ciuitate seu republica ciuiis competere ius metalla fossiliaque effodiendi, quippe nec res publica improbat, ut res nullius cedant occupanti.

§. VI.

Neque tamen negari potest, diuersos populos ab hoc vniuersali iure recessisse. Romanis ius circa metalla iam videtur proprium maiestatis ius fuisse, quod ex vestigiali metallorum et poena illa publica damnationis ad metalla appareret. Exemplum hoc aliae postea politiores gentes fecutae, reditusque metallicos ad regalia retulere iura. Cum vero haud verosimile sit, sponte iuri suo, quod a natura in *adiectione* habebant ciues, renunciasse, facile inde patet, quaerendum esse, quo titulo maiestates hoc ius obtinuerint, quod proprie ad regalia non referendum, abusue vero ad ea referri solet. Absque dubio vel expresso pacto id effectum est, vel tacito, quod ex taciturnitate ciuium deducunt. Putarem et de facto interdum sibi tribuisse principes, maxime eo, quod ex Legislatoria potestate legibus latis coercuerint ciuium arbitrium, qui, quod ipsis obsequii gloria relata, tacendo conniuendoque principi hoc ius quasi proprium effecere. Neque improbabile, principes ipsos primum in effodiendis fossilibus sumptus fecisse, atque tantum id obtinuisse suis legibus, ne ciues iis inuitis fossilia tanquam res nullius effoderent. Hinc hodie particularibus illis publicis iuribus fundata regula: *Ius fossilium effodiendorum pertinet ad solam maiestatem.* Quam-

B

uis



uis vero fossilium notio latior pateat notione metallorum; tamen in dubio principi ius in omnia fossilia competit. Quod si itaque ciues adfirmant, sibi adhuc ius esse propria auctoritate sine principis consensu hoc vel illud fossilium genus effodiendo acquirendi, probare debent, sibi hoc ius per antiquam consuetudinem competere, neutrum vero se tueri poterunt iure occupandi res nullius, quod tamen natura omnibus peraeque hominibus concessit.

§. VII.

Ex hoc vero regali metallorum iure diuersa et iura et diuersas deducunt obligationes. Concludunt itaque, principi ius esse in fundis etiam priuatorum suscipere atque committere, quidquid ad exercendum ius metallorum regium requiritur. Hinc principis obligationem deducunt, vi cuius, si priuati ius diminuatur in fundo ipsius metallifodina, teneatur damnum, quod priuatus ille patitur, saltem ex parte restituere. Hinc princeps ius circa metalla et metallifodinas ad alios quacunque ratione transferendi vel plene, vel minus plene, vel in feudum concedendo, vel locando, vel sub certis conditionibus cuique vsum atque utilitatem metallifodinae committendo. Dein antiquioribus temporibus ad metalla effodienda adhibebantur serui aut delinquentes, qui ad metalla damnabantur: postea vero quam bello vieti serui amplius haud efficierentur ipsaque seruitus praetextu religionis Christianae improbaretur, principes ad effodienda metalla liberis vtuntur hominibus, qui suas locant certa mercede operas

operas, certasque proposuere conditiones, sub quibus
quemque ad locandas operas suas admittunt. An vero
ad has conditiones seruandas teneatur postea princeps eius-
que successor, quaeritur. De eo principe, qui condi-
tiones proposito, dubitare non licet ad conditiones illas
seruandas principem teneri. Cum enim pactum interue-
niat, illud vero sua natura sit obligatorium, nulla subest cau-
sa cur princeps non teneatur. Non tamen negare ausim, si
necessitas publica conditionis positae mutationem vrgeat,
posse principem ab ea quoque recedere, siue sit conditio
posita concessioni metallifodinae, vel locationi operarum
eorum, qui in effodiendis metallis versantur. De succe-
sore vero dubium videtur. Neque in successore dubito,
quippe, si ex maiestatis iure illae positae sint conditiones,
maiestas ergo pacto obligata non moriatur, sed persona
tantum, cui maiestas a populo commissa, sequitur succe-
sorem non minus teneri positas semel conditiones serua-
re. Si vero maiestas ex suo beneplacito posuerit quas-
dam conditiones, nemo tunc dubitabit, successorem ab iis
recedere posse non minus atque ipsum concedentem con-
ditionem.

§. VIII.

Praeterea ex hoc ipso iure principis circa metallifodina-
nas principi tribuitur ius constituendi circa metallifodinas
omnia, quae aliquam vim ad publicam utilitatem habent.
Quemuis enim priuatis princeps concedat metallifodina-
rum ius; tamen propterea suo non renunciat iuri. Inde
etiam ipsis principi competit adhuc ius ex metallicis pro-
uentibus certam portionem sibi vindicandi postulandi-

B 2

que.



que. Cum denique ad obtainendum finem salutis communis principi competat ius legum ferendarum, eidem et competit ferendi leges tam in causis ciuilibus circa metalla atque fossilia et metallifodinas, quam constituendi de criminibus, quae circa metalla metallique fodinas committuntur, et cum frustra leges scribantur, nisi ad earum sensum ciuium actiones et dirigantur et iudicentur, recte habebit potestatem decernendi controversias circa metalla ortas, atque cognoscendi de delictis, quae de metallis commissa sint, eaque puniendi, vel iudices ordinandi, qui causas metallicas ciuiles et criminales iudicent et decidant. Neque minus ob publicam utilitatem poterit omnia circa metallifodinarum culturam, quo ea idonea ratione suscipiatur atque instituantur, ordinare, virosque idoneos constituere, qui inspiciant atque curent, ut cuncta ad praescriptum ordinem curentur, agantur, tractentur, et quo praefecti illi rei metallicae alantur, poterit praeter redditus supra exceptos adhuc alias erogare, ex quibus his ipsis praefectis et curatoribus rerum metallicarum stipendia erogentur.


§. IX.

Iam ad patria Germaniaeque publica jura. Antiquos nostros populares bello venationique dediti, et qui inordinatam rem publicam efficiebant, non quidem tantopere rei metallicae videntur fuisse studiosi, non tamen propterea omnem metallorum usum negare ausim ob ea, quae collegit B. Pater meus in OTIIS METALL. p. 2. Probabile est, vix alia praeter ferrum, quo arma parabant, metalla curasse; neque vero iis primis temporibus, quibus

bus adhuc prope naturalis libertas cuius membro cuius-
uis gentis alicuius germanicae perfecte competebant, quae
inde quoque ingenui seu liberi nuncupata, nec probabile est,
regale ius metallorum a quoquam esse exercitum, et viden-
tur magis ex ipsa illa naturali libertate penitus hoc regale
ius ignorasse, et qui quis tantum ex metallis per libertatem
naturalem occupasse, quantum ad arma sibi paranda cui-
que necessarium videbatur. Neque vero ante Rempublicam
Germanicam ordinatiorem videntur regalia metallica iura
genti cognita fuisse; potius, si quae gentibus circa metal-
la effodienda curae fuerint, proceres ex naturali liberta-
te in res illas nullus occupandas sumtus fecerunt, donec
imperatores demum forsitan ex Romani iuris traditioni-
bus et in germania factis applicationibus sibi hocce pro-
prium aliquod regale fecerint, atque dein, quos sibi va-
fallo constituerant, inuestitura concesserint. Non tamen
dubitandum, plures Status imperii iure quasi proprio pri-
mum ius quaerendorum metallorum effodiendorumque
sibi cepisse, donec vel subsequens aeras Recessibus Impe-
rii Statibus illud ius atque regale confirmauerit, quo et
pertinent RECESS: Imperii d. A. 1748. et 1551. imo for-
san ipsa Pax WESTPHAL. d. A. 1648. At vero patet
ex verbis IVR. PROVINC. SAX. Lib. I. Art. 35.
Schäze unter der Erde vergraben tiſer denn ein Pfugschaar gehet, gehören zur Königl. Gewalt iam ante Seculum XIII.
quod in eo iure antiqui Saxonum mores compilati dicun-
tut, regium seu maiestaticum ius metallicum fuisse ha-
bitum, maxime, si vera illa Iuris Electoralis est interpreta-
tio, quod textum Iuris Provincialis de metallifodinis ex-
ponit, quem tamen alii de veris thesauris intelligunt. v.
HERTIVM de superior territorial. §. 45. Ex his

B 3

vero



vero antea positis facile dabitur, quemcumque imperii statum, qui eo regali metallorum iure vti velit, probare debere, si controuersia de eo moueat, se illud ius regium vel in feudum accepisse, vel pacto, vel denique prescriptione, vel, quod magis est, ex antiquo libertatis iure occupandi res nullius obtinuisse.

§. X.

Cum vero ex Legibus Imperii cuiuis Statui regale ius circa metalla competit, Status vero territoria sua, quibus inhaerent, iura regalia iure feudi et nexus vasallitico possidenteant, semper videtur adhuc supereesse nexus iuris metallici regalis in prouincia singula, cum regali iure Imperatori tributo. Inde possunt adhuc leges in Imperio Generales de metallicis rebus ferri et promulgari, quae dein per vniuersum imperium valent, at, vt in aliis legibus, salvo Iure territoriali. Hinc quilibet Princeps Status Imperii immediatus poterit Prouincialibus suis legibus ea corrigerre atque emendare, quae antea generalibus Imperii legibus fancita fuerant. Hinc, si inter Status Imperii Germanici vel cum Statibus rixae aut lites orientur de iuribus circa metalla, non est dubitandum, Imperatorem tunc fore iudicem competentem, imo in his ipsis controuersiis dirimendis et Iuris Austraegarum legibus introductarum rationem habendam esse. Sed quae erit harum litium decidendarum norma? Distinguendum esse videtur. Aut enim lites concernunt Status Imperii inter se, aut Status cum suis Statibus prouincialibus, aut subditis. Si concernit controuersia causa illa rixas ortas inter immediatos imperii Status, res vnicce ex legibus Imperii immediatis decidenda, vel si haec deficiant, ad vniuersalia

lia illa iura confugiendum erit, scilicet naturalia atque Gentium non vero posthabitis si quae probari possent, Iuribus non scriptis seu consuetudinibus, vel etiam inter ipsos litigantes pactis atque transactionibus olim initis. Si vero lis tractetur inter Statum Imperii immediatum et suos Status prouinciales vel etiam subditos, non ad Leges Imperii statim veniendum, sed videndum prius, quid in illa regione aut Prouincia vel scripti iuris, vel consuetudinis sit circa metallicas res, vel quid illius prouinciae legibus fundamentalibus contineatur; si vero hae sileant, tunc ad Imperii vel leges scriptas vel non scriptas recurrendum erit, hisque tantum deficientibus, ad vniuersalia iura, quae supra dedimus, maxime publicum. cf. CONSTITVT. IVDIC. IMPER. Tit. Die Unterthanen. ORDINAT. NOV. Part. I. Tit. XIII. et LVII.

§. XI.

Tandem, si ad prouinciale ius publicum respiciimus, ante omnia si quis feudi titulo ius circa metalla habeat, vel etiam alio titulo, ante omnia videndum, an dominus territorialis ius regale metallorum ipsemet habeat, de quo quidem dubitandum non est, cum leges Imperii omnibus Statibus hoc conferant. Dein respiciendum ad pacta fundamentalia prouinciae, quae omnino territorialem dominum obligant perfecere. Si his nihil contineatur, quod acquisitioni obfit, tunc ad ipsum pactum vel cum domino directo, vel territoriali initum respiciendum. Sed quid? si quis se se fundet in praescriptione subditus, an audiendus sit? Cum ius effodiendi metalla et regale sic dictum



dictum ad vera iura maiestatica referri nequeat, quae non
admittunt praescriptionem aliquam, non est dubium,
quin recte, praescriptionem admitti posse, adfirmemus.
Nihil enim praescriptione efficitur, quam antiquam et
innatam illam libertatem, quae cuiuis competebat, occu-
pandi res nullius, sibi recuperat subditus, quem antea
maiestas ex connuentia vel pacto ab illa metallorum ac-
quisitione excludere atque arcere potuisset, neutiquam
vero arcuerat, et quid naturalius, quam quod princeps
hoc arcendi ius taciturnitate et connuentia iterum respe-
ctu singuli cuiusdam amittat, quod taciturnitate et con-
nuentia primum obtainuerat. Essent plura adhuc, quae
tractanda supersunt et praeter ea, quae ad priuata spestant,
sed haec ob libelli angustiam alii tempori seruabimus.

T A N T V M.




ULB Halle
003 594 440

3



Sb





SPECIMEN
CONTINENS
1769.10.
OBSERVATIONES
DE
IVRIBVS CIRCA
METALLA
QVOD
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.
SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO
DIE XIV. OCT. ANNO CICOCCLXVIII.
DEFENDET
AVTOR ET RESPONDENS
AVGVSTVS BEYER
NIVEMONTAN.
LIPSIAE
LITERIS RVMPFIIS.